



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CDXXX. Papst Martin V. ernennt den Propst Stephan zum Bischof von Brandenburg, am 1. Sept. 1421.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

CDXXX. Pabst Martin V. ernennt den Propst Stephan zum Bischof von Brandenburg, am
1. Sept. 1421.

Martinus episcopus, seruus seruorum dei, Venerabili fratri Archiepiscopo Magdeburgensi Salutem et apostolicam benedictionem. Ad cumulum tue cedit salutis et fame, si personas ecclesiasticas presertim Pontificali dignitate preclatas diuine propiciationis intuitu oportuni fauoris et presidii gratia prosequaris. Dudum siquidem provisiones ecclesiarum Cathedralium omnium extunc in antea uacaturarum per translationes de Prelatis earum ubilibet constitutis per nos faciendas imposterum ad alias ecclesias Cathedrales uacantes ordinationi et dispositioni nostre duximus referuandas, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quauis auctoritate scienter uel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum uero ecclesia Brandenburgensis Premonstratenses ordinis ex eo pastoris solatio destituta, quod nos nuper venerabilium fratrem nostrum Johannem Lubucensem, tunc Brandenburgensem Episcopum, licet absentem, a uinculo, quo ipsi Brandenburgensi Ecclesie, cui tunc preerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absoluentes, ipsum ad ecclesiam Lubucensem tunc uacantem duximus auctoritate apostolica transferendum, preficiendo eum eidem Lubucenti ecclesie in Episcopum et pastorem. Nos ad provisionem eiusdem Brandenburgensis Ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos ea uice se intromittere potuit siue poterat, reseruatione et decreto obstantibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe uacationis exponeretur incommodis paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem quam de preficiendo eidem Brandenburgensi Ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum dictis fratribus habuimus diligentem, Demum ad dilectum filium Stephanum Electum Brandenburgensem, tunc Prepositum dicte Brandenburgensis ecclesie, ordinem ipsum expresse professum et in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo litterarum scientia, uite mundicia, honestate morum, spiritualium prouidentia et temporalium circumspectione aliisque multiplicium uirtutum donis apud nos fide digna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona ipsius Electi nobis et eisdem fratribus ob dictorum suorum exigentiam meritorum accepta, eidem Brandenburgensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate predicta prouidimus ipsumque illi prefecimus in Episcopum et pastorem curam et administrationem ipsius Brandenburgensis ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, In illo qui dat gratias et largitur premia confidentes, quod prefata Brandenburgensis ecclesia sub ipsius Electi felici regimine gratia sibi assistente diuina prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Cum igitur ut idem Electus in commissa predicte Brandenburgensis ecclesie sibi cura facilius proficere ualeat, tuus fauor ei fore noscatur plurimum oportunus, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus eundem Electum et commissam sibi Brandenburgensem ecclesiam suffraganeam tuam habens pro nostra et apostolice sedis reuerentia propensius commendatos in ampliandis et conseruandis iuribus suis sic eos tui fauoris presidio prosequaris, quod ipse Electus tuo fultus auxilio in commisso sibi prefate Brandenburgensis ecclesie regimine se possit utilius exercere tuque diuinam misericordiam ualeas exinde uberius promereri. Datum Rome apud Sanctam mariam maiorem, kal. Septembris Pontificatus nostri anno Quarto.

Pro B. de Pistorio Arnoldus.

Nach dem Original des K. Provinzial-Archivs zu Magdeburg.